

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0300

0298

0304

0294

0309

0289

0349

0249

0399

0199

0799

288

jejunia, sed et parvula aetas his spiritualibus exercitiis insistebat. Sed ira Dei in patulo vehemens erat, nec mirum, nam nimis et clerus et populus in luxus varios se effuderat, totaque terra illa facinoribus et flagitiis sordescibat, insuper et qui religionis praeferebant habitum, regularis temperantiae turpiter fines excesserant, pauci erant, quos vel avaritiae vel luxuriae morbus non inficeret. In ministris templi sacer zelus et contentio erat admodum et litigium pro ambitione, nam milites templi et hospitalium ministri contra patriarcham et episcopos decertabant et exemptiones quaerebant suamque falcem in messem alienam mittebant, qui tamen in principio institutionis eorum subesse gaudebant. Simoniacam pravitatem committere pro nihilo ducebant et dominicum sepulchrum et locum resurrectionis personis indignissimis per simoniam introductis cottidie replebant. Propter quod munus gratissimi ignis scilicet coelestis in nocte sacratissimae paschae a divina clementia datus in principio tempore Gothfridi regis et Balduini I. et Balduini II., retardavit descendere ad accensionem luminum ultimorum regum temporibus. De quo igne vide supra. Et si clerus his malis infectus fuit, quomodo Spiritus potuit esse sanctus?

Facta etiam fuerat Jerusalem Aegyptus et Sodoma, similibus transgressionibus polluta, nam tota urbs erat plena hospitibus privatis, et de omni natione, quae sub coelo est, erant hospites a suis terris propter facinora exules, vel propter mulieres, quas secum traxerant, in suis terris apparere et manere non volentes, vel propter debita, quae domi solvere nequibant, exules in Jerusalem, hospitalitati intenti, lucris insistebant, vel quod propter excommunicationes manere in solo proprio non poterant, Jerosolymis manebant, et nonnulli lucrandi causa de occidente in orientem domicilium transferebant. Et milites sepulchri dominici et templi custodes multi erant, et in tanta multitudine pauci erant, nisi scelerati, impii, raptores, sacrilegi, homicidae, perjuri, adulteri, ut dicit Bernhardus in Sermone ad milites templi, Cap. 5. Sicque civitas sancta facta fuit refugium malefactorum et plena erat hospitibus inhonestis, in quibus luxuriae, crapulae et ludis operam dabant peregrini, postquam loca sancta visitaverant.

Ende

Anfang